



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitvr De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censvris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

Casus Reuerendissimo Archiepiscopo Parisiensi reseruati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572

Casus frequentiores Papa in his partibus reseruati.

1. EXVSTIO templorum , nec non & domorum profanarum procurata, dum incendiatus est publice denuntiatus.
2. Simonia realis in Ordinibus, & beneficiis, & confidentia dummodo sit publica.
3. Occisio, seu mutilatio membrum cuiusque in sacris Ordinibus constituti.
4. Percussio Episcopi, seu alterius Praelati.
5. Delatio armorum ad partes infidelium.
6. falsificatio Bullarum, seu litterarum summi Pontificis.
7. Inuasio, deprædatio, occupatio, aut deuastatio terrarum Romanæ Ecclesie.
8. Violatio interdicti ab eadem sancta sede impositi.

Nota 1. hos omnes casus adiunctam habere censuram. 2. non omnes casus Papæ in his partibus reseruatos, hic notari, sed eos tantum qui frequentius occurruunt. 3. quoad aliorum obligationem, spectandam esse locorum consuetudinem, à viris doctioribus & piis probatam; cum hac in re nihil certi statui possit.

Vt autem quæ iam diximus de casibus summo Pontifici Parisiis reseruatis, melius intelligantur, simulque constet quo usque se extendat potestas Sacerdotum, qui ibidem confessionibus audiendis vacant, opera pretium est hoc loco recensere casus in Diœcesi Parisiensi nunc reseruatos, ut in prædicto Rituali referuntur.

Casus Reuerendissimo Archiepiscopo Parisiensi reseruati.


1. GRAVIS percussio Religiosi, vel clerici in sacris constituti, quæ si atrocior fuerit, summo etiam Pontifici reseruatus.

a Exu-

- Exusio de morum procurata & voluntaria, dummodo incendiarius non sit publicè denunciatus, immo si denuntiatus est, reseruatur S.P.
Idipsum de effractore, & spoliatore ædium sacramum intelligi etiam voluntarium.
Homicidium voluntarium.
Monomachia, vel duellum, quo nomine continentur omnes pugnantes in duello, tum etiam qui vulgo dicuntur ipsorum patrini, & qui ad illud provocant scienter.
Coniugi mortem machinari, id est, reipsa tentare, licet fortè non sequatur.
Procuratio abortivi, siue animati, siue inanimati.
Percussio Patris, vel Matris,
Proficeri vel exercere maleficia, beneficia, diuinationes cæterasque artes magicas, non vero Magos, ut diuinos consulere.
Profanatio, & impius usus sacro-sanctæ Euchæstie, Chriimatis, & olei sancti.
Atrox & violenta percussio, cum multa sanguinis diffusione in Ecclesia.
Fornicatio in Ecclesia.
Concubitus cum sanctimoniali.
Concubitus Confessarij cum pœnitente, & pœnitentis cum confessario.
Raptus virginum, vel mulierum honestè viuentium.
Incestus intra secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis.
Sodomiticum peccatum, & quod eo grauius est.
Sacrilegium, quo intelligitur furtum rei sacræ in sacro loco, vel rei profana depositæ in loco sacro.
Crimen falsiorum, quo intelliguntur falsifices coram iudice, & qui falsam eudunt monetam, & etiam qui falsant litteras Ecclesiasticas, modo tamè non sint litteræ aut bullæ summi Pontificis, harum enim falsificatio reseruatur Papa, quando factum est motorium.

20. Simonia & confidentia occulta.

21. Promoueri ad ordines maiores , supposita alia persona, ad subeundum examen, vel fallo, aut supposito titulo.



CAP V T IV.

DE SVSPENSIONE, DEPO-
sitione, & degradatione.

ART ICVL V S I.

Denatura, & effectibus suspensionis.



VBIVM est 1. quid sit suspensio. Respondeo suspensionem esse censuram Ecclesiasticam , quia clericus impeditur ne functiones sui officii, aut beneficij exerceat. Ex quo patet 1. suspensionem propriè non cadere nisi in solos clericos , cum priueto ysu potestatis Ecclesiasticæ , quæ non nisi solis clericis cōpetit.

Patet 2. suspensionem distingui ab excommunicatiōne, & interdicto, quia hæc priuant aliis bonis, aut iisdem sub alia ratione. Nam excommunicatio priuat bonis spiritualibus, quatenus habent rationem communicationis cum fidelibus, interdictum vero, vt sunt quædam participatio rerum sacrarum: suspensio autem, vt habent rationem functionis clericalis.

Dubium est 2. quotuplex sit suspensio. Respondeo esse multiplicem , nam 1. alia est à iure, alia ab homine, vt patet ex dictis, vbi de censuris in genere. 2. alia totalis , quæ nimirum suspendit ab omni officio, sam ordinis, quam iurisdictionis, & à beneficio: alia partialis, quæ tantum ab altero suspendit, idque aut totaliter, vt si Sacerdos suspendatur ab omni officio Sacerdotali; aut solum partialiter, vt si suspen-

datu*s*